

alterius parochie, sive apud se, sive alibi. Caveant igitur ne limites suæ approbationis excedant.

4º Episcopus autem cuius approbatio requiritur est episcopus loci in quo audienda est confessio, ut communiter docent auctores, ex variis summorum Pontificum constitutionibus et ex praxi recepta. Si autem approbatio episcopi pœnitentis etiam necessaria sit, ut multi dicunt, sufficienter data intelligitur ex consuetudine generali, saltem extra tempus Paschatis et casum reservatum, quotiescumque iste episcopus expresse nou obsistit.

5º Necessaria est approbatio pro confessionibus omnium sæcularium etiam sacerdotum, non vero pro confessionibus regularium qui, secundum jus antiquum cui Concilium Tridentinum nou derogavit, sacerdotibus regularibus, vel etiam sæcularibus, cum sola delegatione superioris, sine approbatione episcopi confiteri possunt.

6º Non tantum pro mortalibus nondum confessis, sed pro venialibus et mortalibus jami remissis requiritur approbatio, ut docet *Bened. XIV*, Inst. 86, § 8.

7º Cum approbatio a sola voluntate libera episcopi vel vicarii ejus generalis pendeat, limitari potest quoad locum, tempus, personas et peccata: hic qui pro solis viris approbatur, mulieres audire non potest et invalidas absolveret. Propter eamdem rationem, approbatio injuste denegata vel sine causa revocata, nihilominus est nulla, et invalida foret absolutio.

8º Quamvis approbatio a delegatione jurisdictionis separari possit, sicut diploma capacitatis ab institutione magistri pro scholis primariis nunc distinguitur, mos tamen iuvaluit, sicut apud nos, a Conc. Tridentino, ut episcopi jurisdictionem simul cum approbatione conferrent. Unde nunc parochi jurisdictionem delegare non possunt, siquidem eligere tenentur inter approbatos qui omnes jurisdictione jam donati sunt.

Queritur 1º an pro audiendis confessionibus monialium specialis requiratur approbatio episcopi.

R. affirmative, etiam pro monialibus a jurisdictione episcopi exemptis. Patet 1º ex constitutione Gregorii XV

Inscrutabili, a Benedicto XII anno 1726 confirmata. 2º Ex auctoritate cleri Gallicani, propositionem sequentem anno 1700 condemnantis: « Religiosæ exemptæ possunt » absolví a sacerdote non approbato ab episcopo, sive » sacerdos ille sit sæcularis, sive regularis. » 3º Ex praxi communi Ecclesiæ. 4º Ex decretis S. Congr. conc. resolutis: 1º monialium confessiones auditæ sine speciali approbatione esse nullas; 2º approbatum pro excipiendis confessionibus mulierum non ideo censeri approbatum pro monialibus; 3º approbatum pro uno monasterio, nou censeri pro alio monasterio approbatum. Hæc autem omnia confirmavit Clemens X, anno 1670, bulla *Supera magni patris familias*. Ergo.

Nomine monialium, hic solæ intelliguntur mulieres vota solemnia emittentes et in claustrō viventes; non vero illæ quæ vulgo dicuntur *Sœurs de charité*, et aliae similes quæ vota simplicia emittunt. Certum est tamen episcopos statuere posse ut pro his audiendis specialis obtainenda sit approbatio. Apprime igitur noscere debent confessarii quid in singulis diœcesibus statutum fuerit in ordine ad confessiones hujusmodi sororum.

Moniales cum debita licentia iter agentes aut alia de causa extra monasterium degentes, apud quemlibet confessarium approbatum peccata sua deponere possunt, quia *odia restringi convenit*.

Confessarii monialium ab ipsis eligi non possunt, sed ab episcopo loci eligi et approbari debent. Ex prohibitione sacræ Congregationis episcoporum et regularium, diei 4 martii 1591, confessarii monialium ad triennium duntaxat approbari debent, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio, sine licentia sacræ Congregationis. Sed illa dispositio in Gallia non fuit admissa, et approbatio pro audiendis monialibus indefinite concessa non cessat, nisi per revocationem.

* Præter ordinarium autem confessorem, aliis extra-ordinarius ab episcopo et aliis superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire de-

» beat. » Sunt verba Conc. Trid., sess. 25, de Regularibus et Monialibus, cap. 10.

Videnda sunt quæ dicturi sumus in t. 5, ubi de monialium confessariis.

Quæritur 2º an capellani militum seu missionarii castrenses approbatione episcoporum indigeant.

R. Certum est illos absolvere non posse milites absque legitima approbatione; sed quæstio est an approbatio majoris capellani regii (*du grand-aumônier du roi*) eis sufficiat, an vero requiratur approbatio episcopi loci.

Cum majores capellani regii sola auctoritate civili fuerint instituti, nullam habent jurisdictionem ecclesiasticam ratione sui tituli, nec proinde eam delegare possunt, nisi facultatem id faciendi a sede Apostolica obtinuerint.

Clemens XII, brevi diei 4 februarii anni 1736, precibus Philippi V, Hispaniarum regis, inclinatus, concessit majori capellano ab ipso pro tempore deputato, facultatem per se vel per alios sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos, sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad exercitus regios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes. Eamdem facultatem Benedictus XIV concessit, die 28 maii 1746, majori capellano Caroli-Emmanuelis III, regis Sardiniae.

In Gallia autem majores capellani, dum existerent, contendebant similia privilegia sibi concessa fuisse; episcopi vero negant: idcirco pars tutior eligenda est, et capellani militum vel navium approbationem episcoporum requirere et obtainere debent, donec summus Pontifex suam voluntatem clare manifestaverit.

Sed petitur cuius episcopi approbatio ipsis necessaria sit, cum de dioecesi in diocesim sæpe transeant. Collator Andeg. respondet approbationem episcopi loci in quo formatur legio gallice *régiment*, vel portus unde proficiscitur navis, capellanos constituere parochos et legionis et na-

vis, eisque jurisdictionem ordinariam conferre quam ubique valide exercere possunt, licet pro bono ordine coram episcopis locorum in quibus diu manere debent se sistere teneantur. Quoniam plerique non instituuntur capellani in locis ubi legiones formantur, hæc decisio non est praxis universalis; itaque mos est omnes approbationem episcopi in cuius territorio aliquandiu mansuri sunt obtainere, et interea approbatione prius sibi concessa uti.

A fortiori capellani scholarum militarium approbatione episcopi indigent.

§ VI.—Quinam a peccatis reservatis absolvere possint.

Casus reservati quædam sunt delicta ratione sui vel scandali atrociora, circa quæ jurisdictione in inferioribus presbyteris limitatur. Reservatio igitur non est censura, cum non sit proprie pena, sed limitatio jurisdictionis: unde ignorantia non tollitur. Finis illius est ut populus enormitatem peccati, quod difficiliter remittitur, apprehendat, et graviores causæ peritioribus committantur.

Ut peccatum censeatur reservatum, plures requiruntur conditiones, quæ sequentibus exprimuntur versibus:

Completum, externum, certum, mortale, favores
Auge, odium stringe, a potiori illatio non est,
Mas annos haec bis septem, semina bis sex,
Solvo mandantes, quando non jura reservant.

Itaque 1^a peccatum debet esse mortale. Cum enim peccata veniala non sint materia necessaria sacramenti Pœnitentiae, repugnat ea reservari: unde si peccatum ex natura sua mortale, ex ignorantia vel inadvertentia fiat veniale, jam non est reservatum.

2^a Debet esse externum et mortale quatenus externum.
1º Externum: quia sic semper intellecta est reservatio et quidem recte, cum in internis mortalia a venialibus difficile secernantur; 2º mortale quatenus externum: unde levissima percussio clerici cum intentione eum graviter percutiendi, non esset reservata.

3^a *Debet esse completum et in ea specie quæ reservatur consummatum; quia juxta regulam juris 15, in Sexto, Odia restringi convenit: igitur qui hominem graviter vulnerat ex intentione illum occidendi, reservationem cui subjacet homicidium non incurrit.*

4^a *Requiritur ut a pubere fuerit commissum. Quamvis enim nulla lex generalis reperiatur in jure qua impuberis a reservatione excipiantur, est tamen sententia communis eos tali restrictioni non subjacere, nisi superior ecclesiasticus expresse declaverit. Ætas autem pubertatis determinata est quatuordecim annorum pro maribus, duodecim pro feminis.*

5^a *Debet esse certum, id est, certo commissum, et omnibus supradictis conditionibus certo vestitum et in confessione nondum remissum; quia, cum reservatio sit odiosa, ad rigorosum verborum sensum restringenda est. In dubio autem an peccatum aliunde certum sub lege reservationis sit comprehensum scinduntur theologi. Juxta communem sententiam pars tutior est eligenda et standum est pro lege, nisi episcopus aliud expresse declaraverit.*

6^a *Reservatio extendi non debet ultra propriam verborum significationem, quia Odia restringi et favores convenit ampliari. Unde, reservato homicidio, solus homicida reservationi subjacet, non vero mandantes, licet magis rei esse possint, ideo conclusio a fortiori non valet.*

His notatis, sit

PROPOSITIO PRIMA.

Summus Pontifex et episcopi jus habent quosdam sibi reservandi casus.

Prob. 1^o Concil. Trid., sess., 14, cap. 7: « Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora criminia, non a quibusvis, sed a summis sacerdotibus duntaxat absolverentur: unde merito Pontifices maximi, pro supra potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas alias criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.

• Neque dubitandum est..... quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diecesi, in ædificationem tamen non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præser- tim quoad illa quibus excommunicationis censura an- nexa est. • Et canone 11: « Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam..... anathema sit. »

Prob. 2^o constanti usu et praxi Ecclesiae.

Et revera jurisdictione pendet a voluntate ordinariorum: ergo limitari potest; saltem in delegatis. Major est difficultas pro inferioribus ordinariis; attamen, cum superior veram habeat jurisdictionem in eos, v. g., summus Pontifex in episcopos, non repugnat quod illorum jurisdictionem intra certos limites coerceat, ad sensum Concil. Trid., quod, ut vidimus, ex ipsius Concilii auctoritate et ex praxi Ecclesiae constat.

Colliges reservationem factam sine causa et injuste, gravioriter quidem illicitam esse ex parte superioris, et tamen validam, quia jurisdictione pendet a voluntate ordinarii.

CASUS SUMMO PONTIFICI RESERVATI,

Qui omnes annexam habent censuram.

1^o *Exustio templorum nec non domorum profanarum, voluntarie procurata, cum incendiarius est publice denuntiatus.*

2^o *Effractio cum spoliatione sacrarum ædium et monasteriorum, post effractorum et spoliatorum publicana denuntiationem.*

3^o *Simonia realis in ordinibus et beneficiis, et confidencia, dummodo sit publica.*

4^o *Occisio, mutilatio, vel atrox percussio, sive clerici in sacris ordinibus constituti et clericali habitu iuduti, sive religiosi religionis habitu similiter iuduti.*

5^o *Percussio etiam non atrox episcopi seu alterius prælati, id est, superioris vel pastoris.*

6^o *Falsificatio bullarum vel litterarum apostolicarum.*

Nota 1º prædictos casus, si sunt occulti, proprio delinquentium episcopo, cum sua censura, esse reservatos, siquidem licet episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua eos absolvere (Concil. Trid. sess. 24, de Reform. cap. 6.) Illi autem casus reputantur occulti, qui in judicio non fuerunt probati et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, ut si pauci, v. g., tribus aut quatuor personis discretis innotescerent, aut si factum appareret dubium.

Quoniam casus papales ob excommunicationem præcipue reservantur, si excommunicatio ob ignorantiam non incurrit aut tollatur, eo ipso, ex communi doctorum sententia, cessat reservatio. Sacerdos a Papa delegatus ut a peccato ei reservato absolvat, eo ipso ab excommunicatione eidem peccato annexa absolvere potest. Ita generliter theologi et cum iis Billuart.

Nota 2º episcopum ab iisdem casibus etiam non occulti absolvere posse regulares, moniales, feminas, pauperes, senes, valetudinarios, et denique eos omnes qui, salva vita, libertate aut rebus suis, Romanam adire nequeunt.

Nota 3º percussionem clerici non atrocem, vel clerici ordinibus sacris non initiati, episcopo tantum reservari.

Nota 4º. Præter hos casus summo Pontifici reservatos, alii sunt in jure communi expressi; sed in his regionibus rarissime eveniunt: alii vero multo frequentius occurrentes reperiuntur in bulla *In cena Domini*: verum cum hæc bulla in Gallia nunquam fuerit recepta, de illis parum nobis curandum est.

Casus autem episcopis reservati pro diœcesibus varianturn. Legendi sunt in Ritualibus, vel in libellis eos continentibus.

Si reservatio facta sit propter censuram, ubi censura non incurrit vel tollitur, cessat reservatio. Sic in jure plurimæ annexæ sunt censura casibus qui non declarantur reservati; sublati censuris, nulla existit reservatio.

Quando illæ censuræ non declarantur reservatae, nulla est reservatio.

Si censuræ illæ sunt reservatae, vel agitur de excommunicatione, et tunc confessarius pro reservatis non approbatu, pœnitentem absolvere nequit, *ut patet*: si vero agatur de suspensione, eum absolvere potest, siquidem suspensio et irregularitas a sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiae non excludunt.

Facultas igitur absolvendi a casibus reservatis distingui potest a facultate absolvendi a censuris et a facultate dispensandi ab irregularitatibus occultis.

Sciat ergo quilibet sacerdos ad audiendas confessiones deputatus, quænam facultates sibi fuerint concessæ et eas non prætergrediatur.

Qui obtinet ab episcopo facultatem a determinatis casibus reservatis absolvendi, eo ipso ab excommunicatione eis annexa absolvere potest, alioquin re ipsa non posset absolvere. Idem dici non potest de suspensione et irregularitate, *ut patet*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Extra mortis articulum vel probabile ejus periculum, solus superior cui casus reservantur, vel ipsius delegati, ab eis valide absolvere possunt.

Prob. ex Conc. Trid., sess., 14, cap. 7, in fine. « Extra quem articulum, sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitan tur ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. »

Idem constat ratione. Absolutio sine jurisdictione nulla est: reservatio autem est limitatio jurisdictionis, quæ tolli non potest nisi a superiore cui casus reservantur, vel ab ipsius delegatis: ergo.

Hinc 1º in articulo mortis, ex jure communi, nulla est reservatio, et qui in eo casu a sacerdote pro reservatis non approbato fuit absolutus, si supervixerit, ad approbatum pro reservatis recurrere non tenetur; peccatum enim semel remissum non reviviscit, nec censura ei annexa perse renovatur.

2º Absolutio ab inferiori sacerdote, specialiter non delegato, extra periculum mortis concessa, quantumvis ex ignorantia, inadvertentia aut necessitate id fiat, est iure communii nulla: attamen statuitur in nostra dioecesi, ex indulgentia charitatis, ut pœnitens qui bona fide casus reservatos confitetur confessario approbato quidem, sed non pro reservatis, valide absolvatur; et confessarius, si ex contemptu legis vel ex ignorantia graviter culpabili sic gerit, suspensionem ipso facto incurrat.

3º Qui a sancta Sede pro casibus pontificiis delegaretur non ideo pro casibus episcopo reservatis approbatus esset, quia unum in altero non comprehenditur. Nec qui pro casibus episcopalibus est approbatus, a casibus pontificiis episcopo devolutis absolvere posset, nisi hoc expressisset episcopus in suis litteris aut verbis: Concilium enim Trid. speciale requirit delegationem, quod Suarez et alii intelligunt de delegatione expressa.

4º Confessarius pro reservatis non approbatus, a non reservatis eundem pœnitentem absolvere nequit, ut patet, nec idcirco pergere debet in audienda confessione si advertat existere casum reservatum, nisi præsumat se licentiam a superiore obtentur, et pœnitens in dilationem absolutionis consentiat.

5º Si absolutio, ex debita auctoritate ordinaria vel delegata concessa, sit formaliter nulla, id est sacrilega ex parte pœnitentis, non tollitur reservatio, nisi superior hoc expresse voluerit; quod sane præsumi non potest. Si autem simpliciter sit nulla, communis sententia est tolli reservationem, quia pœnitens finem legis sufficienter attigisse videtur. Ita Coll. Andeg., *S. Ligoriu*s, l. 6, n. 598, cum multis aliis.

6º Qui in una dioecesi simpliciter est approbatus, absolvere potest pœnitentes alterius dioecesis ad se bona fide accedentes a casibus in ea dioecesi, non in sua reservatis; quia reservatio, cum sit limitatio jurisdictionis, confessarium et non pœnitentem afficit. Aliunde causa delicti finienda est secundum jura loci in quo judicium exercetur. Secus, si pœnitens in fraudem legis, id est, ad declinan-

dam disciplinæ suæ dioecesis severitatem, vel simpliciter ut facilius absolvatur. Sic, cum multis, *S. Ligoriu*s, l. 6, n. 589.

7º Si quis bona fide peccatum reservatum oblitus, a confessario pro reservatis approbato rite absolvatur, tollitur reservatio, ac proinde peccatum istud cuilibet confessario simpliciter approbato confiteri potest.

Permulta sunt aliae difficultates in intricatissima hac materia, ut videre est apud Collatorem Andeg., *S. Ligoriu*m aliasque theologos. Eas nec solvere, nec exponere intendimus: in nostra dioecesi et multis aliis, ut nobis videtur, facultas a reservatis et censuris eis annexis absolvendi omnibus confessariis ipsisque vicariis et presbyteris habituatis nunc conceditur, ne in miseris nostris temporibus reservatio in destructionem potius quam in ædificationem vergat. Semper tamen excipitur peccatum contra castitatem exterius commissum, a quo sacerdos complicem extra mortis articulum, nunquam absolvere potest, ut in Supplemento ad Tractatum de Matrimonio ostendimus, et spensiones in Enchiridion expressæ apud nos.

§ VII.—Quinam habeant jurisdictionem in articulo mortis.

Duae hic occurrent quæstiones distinctæ, licet inter se affines, nempe 1º quinam in articulo mortis absolvere possint a communibus peccatis; et 2º quinam a reservatis.

1º Fere omnes theologi concedunt quosvis sacerdotes in communione Ecclesiæ viventes absolvere posse, vi jurisdictionis quæ jure communii ipsis pro tunc delegatur, deficiente confessario approbato. Hoc patet ex Rituali Romanó et ex aliis generaliter. At multi negant de iis qui ab unitate Ecclesiæ præcisi sunt, ut schismati, haeretici, excommunicati, suspensi, irregulares, degradati, apostatae, et nituntur 1º auctoritate *S. Thomæ*, qui in 3 part., q. 82, art. 7, ad secundum, asserit hujusmodi sacerdotes, præter baptismum, in nullo casu alia sacramenta conferre posse; 2º veteri disciplina ante Concilium Tridentinum ubique recepta, cui Concilium derogare noluit; 3º decla-

ratione Congr. concil. pronuntiantis decretum capituli 7, sess. 14, de sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus intelligendum esse. Sic *Concina*, t. 20. Hæc decisio multis non videtur authentica.

Alii vero communissime affirmant prædictos sacerdotes a communione Ecclesiæ etiam notorie et nominative præcisos, in articulo mortis valide absolvere, defectu alterius sacerdotis in unitate catholica viventis : 1º quia præsumendum est Ecclesiam in tali extremitate jurisdictionem supplere ; 2º quia ita multi sentiunt doctores, inter quos *Navarrus*, *Sanchez*, *Suarez*, *de Lugo*, *Soto*, *Sylvius*, *Tournely*, *Belluart*, *Dens*, *Ferraris*, etc.; 3º quia hæc sententia in pluribus traditur Ritualibus et a multis admissa est episcopis Gallicanis tempore schismatis anni 1791 ; 4º quia Pius VI, hac de re consultus, respondit, die 1 aprilis 1794, « non esse improbandam rationem quam inierunt non nulli Gallicani præsules, qui in articulo vel periculo mortis, Poenitentiae sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis intrusis, recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote. » *Recueil des Brfs*, t. 3.

Ergo supponit ille Pontifex opinionem qua stat pro validitate absolutionis esse saltem probabilem, alioquin eam improbasset. Cum autem in necessitate opinione probabili ut liceat, inde sequitur licitum esse et expedire absolutionem ab hujusmodi sacerdote, aliorum defectu, excipere.

Quoniam vero nostra opinio est duntaxat probabilis, si, confessione peracta, catholicus occurreret sacerdos, tutius manifeste esset eam iterare.

2º Certum est nullam esse reservationem in articulo mortis, ut expresse declarat Concil. Trid., sess. 14, cap. 7, his verbis : *Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

Auctoritates modo allatae probant etiam hanc facultatem absolvendi a reservatis in articulo mortis, ipsis similiter

communicari sacerdotibus ab unitate Ecclesiæ præcisis, saltem deficiente catholico sacerdote etiam non approbato.

Nota. In omnibus quæ diximus sub nomine articuli mortis comprehenditur etiam probabile ejus periculum, quamvis inter utrumque aliquod existat discrimen. Ita fere omnes theologi, ut videre est apud *Concina*, *Ferraris*, vº *Jurisdictio*, n. 27, *S. Ligorium*, l. 6, n. 561. Tale autem periculum adesse censetur in prælio, in longa navigatione, si confessarius non sit adfuturus, in partu difficulti, etc. In multis diecesibus id latius, ex speciali concesione, extenditur. Unusquisque proprio Rituali stare debet.

Quæritur an simplex sacerdos, præsente approbato, moribundum in articulo mortis absolvere possit.

R. Plures affirmant, dicentes Concilium Tridentinum jurisdictionem in articulo mortis omnibus sacerdotibus indistincte conferre, et ampliandos esse favores, odia vero restringenda. Sed communissima est sententia negans, hoc innixa fundamento, scilicet, jurisdictionem ab Ecclesia in sacerdotibus non approbatis suppleri propter necessitatem : porro dici non potest adesse necessitatem si sacerdos approbatus non deficiat, nisi confessionem excipere et absolutionem impertire nolit; vel forte, nisi ægrotus tanta corripiatur repugnantia erga approbatum ut conscientiam suam ei aperire nequeat, vel si confessio simplici sacerdoti jam incepta sit quando supervenit approbatus. Ita *Collet*, *S. Ligorius* et plures alii.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARI.

Inter obligationes confessarii, aliæ spectant confessionem, aliæ absolutionem, et aliæ sigillum.

§ I. — De obligationibus confessarii quæ spectant confessionem.

Necesse est 1º ut confessarius habeat probitatem ; 2º scientiam ; 3º prudentiam ; 4º ut confessionibus audiendis paratum se præbeat ; 5º ut poenitentes prudenter inter-